



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXXX. De Socru Petri sanata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

34 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

Deus etiam à te contemnat laudari , & dicat : Quare tu enarras iusticias meas , & assumis testamentum meum per os tuum ? Tu vero odisti disciplinam , & projecisti sermones meos retrorsum . Ps. 49. v. 16. & 17.

PUNCT. III. Et discerpens eum Spiritus immundus exiit ab eo . Marc. 1. v. 26. Et cum projecisset illum demonium in medium , exiit ab illo , nihilque illum nocuit . Luc. 4. v. 35. Sic tentator animam affligere , ac tristitia etiam prostertere potest ; nocere non potest , nisi volenti . In Diaboli obedientia considera , illum quidem statim paruisse Christo , sed voluntatis tamē reluetantis indicia dedisse . Pudeat itaque te , si Diabolus te Obedientiae celeritate superet ; vel si non superes Diabolum Voluntatis promptitudine ac Conformatitate cum Voluntate Superiorum : aut si contra eos , & contra mandata eorum impatientiae aut indignationis signa edas , sicut iste Diabolus .

## MEDITATIO CCXXX.

### De Socrus Petri sanata.

Marc. 1. Luc. 4.

PUNCTUM I. Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis & Andreae cum Iacobo & Iohanne : Decumbebat autem socrus Simonis febricitans , & statim dicebant ei de illa . Marc. 1. v. 29. Lucas ait : c. 4 v. 38. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus , & rogaverunt illum pro ea . Considera , an non Anima tua teneatur multis , & magnis febribus ? febres solent alternante immodico frigore & æstu corpus affligere . Immodicum frigus Animæ est defectus fervoris in Oratio

Oratione, remissio Amoris D E I, vel Proximi; quo fit, ut in Cultu Divino, & in functionibus obeundis minus ferveas. Calor & æstus immodicus est nimius amor proprius, & si irâ facile exardescas. Pro hujusmodi magnis febribus curandis necesse in primis est, ut agnoscas esse *magnas*, id est, periculofas Animæ & valde molestas, ac difficulter curabiles. Unde ingens concipiendum est desiderium recuperandæ sanitatis: adeoque etiam *statim* invocandus Medicus, nempe Christus D E V S per SS. Patronos; veluti apud ipsum Discipuli pro Socru Petri intercesserunt. Et quia Christi Personam etiam gerunt Superiores ac Patres Spirituales: statim illis de hujusmodi magnis febribus dicendum est, & auxilium ab ipsis petendum.

PUNCT. II. *Et stans super illam* (id est stans, & inclinans se ad illam) *imperavit febri, & dimisit illam.* Luc. 4. v. 39. Marcus ait. c. 1. v. 31. *Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuò dimisit eam febri.* Ecce modum sanandi febres. 1. Insistendum est, & intendendum in ægrum, febrésque diligenter observandæ à Medico, nempe propriæ vel alterius Animæ curam gerente. 2. Per Verba illa: *Imperavit febri*, vel ut in Græco legitur, *increpavit febrem*; indicatur, febrim Animæ (non hominem) increpandam, & pro potestate, ac magna cum efficacia pellendam esse, si nimirum ejus gravitas ostendatur, ac reprehendatur; ita tamen, ut subditus non tam se, quam febrim suam increpari, ac persecutione quadam infestari advertat. Sic etiam quisque suam febrim increpet, & gaudeat, si à DEO increpetur, ostensa sibi ejus gravitate, ac periculo. 3. Per apprehensionem

C 2

manūs

36 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

manus intelligitur suppeditatio auxiliorum, & mediorum ad cooperandum: noli ergo retrahere manus, eam apprehendere volenti: sed acceptando media & auxilia, iisque cooperando manum tuam apprehendi permitte. 4. Elevanda est mens à molli lecto temporalium rerum ad Amorem Cælestium, & ad D E V M. Hac ratione, quantumvis multis & magnis febribus tenearis, DEI Gratiâ facile sanaberis: & si Christus hanc Gratiam sanitatis dedit socrui Petri sequentis ipsum; quanto magis dabit illi, qui ipse Christum sequitur?

PUNCT. III. *Et continuò surgens ministrabat illis.*  
Luc. 4. v. 39. Si socrus propter unicum Beneficium redditæ sibi sanitatis Christo, & Discipulis ejus tam promptè ministravit, quanto magis propter innumeræ & maxima Beneficia Deo, ac Proximis libenter inserviamus, & acceptas à D E O vires tam corporis quam animi etiam ad ipsius Obsequium impendamus?

## MEDITATIO CCXXXI.

*Christus multis agris & energumenis liberatis, in deserto orat. Marc. 1.*

PUNCTUM I. *Vespere autem facto, cum occidisset Sol, affreabant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes:*  
*& erat omnis civitas congregata ad januam, & curavit multos &c. v. 32. Lucas ait. c. 4. v. 40. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Ecce, nullum tempus & locus est importunus Christo; nec de die tantum, nec in Templo tantum, sed semper, & ubique paratus est benefacere.*